omnia negotia [a] peragenda, quæ neceſſaria deciſioni negotii videbuntur, noſtro te conſpectui repræſentes. Nos verò nihilominus Archidiacono Tranſvigenſ. & Magiſtro M. Canonico Turonenſ. dedimus in mandatis, ut ipſi ad eumdem terminum auctoritate noſtra juxta præmiſſam formam te peremptoriè citare procurent: & ſi non poteris inveniri, faciant, ut citationis edictum per ipſos vel alios, apud Eccleſiam tuam publicè proponatur.

[a] *Vox*, negotia, *deeſt*, *in omnibus manuſcr.*

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM CAUSA REI SERVANDÆ.

TITULUS XV.

I. ALEXANDER III. Priori & Fratribus de Guiſeburch. [ab] [1] [c. an. 1180. *Romæ.*]

[ab] *al.* Giſeburch.

Miſſus in poſſeſſionem ex primo Decreto in reali, per lapſum anni veram & incommutabilem illius rei poſſeſſionem acquirit, licèt paſſus miſſionem, habuerit intra annum voluntatem cautionem præſtandi, quam tamen non deduxit ad effectum, ſuo defectu. Hoc dicit ſecundùm verum intellectum.

CONSTITUTIS in præſentia [c] noſtra R. Canonico veſtro, & Reſponſalibus Præpoſiti de Beril. [2] ſuper poſſeſſione Eccleſiæ de Lamento [3], in quam causâ rei ſervandæ fueratis inducti, hinc inde fuit coram nobis aliquandiu diſputatum. Tandem ex utriuſque partis aſſertione tenuimus, quòd licèt causâ rei ſervandæ tantùm, in ejuſdem Eccleſiæ poſſeſſionem inducti fueritis, intra annum tamen altera pars ſtandi juri non præſtitit cautionem, licèt voluntatem [d] præſtandi habuerit, & vos eam parati recipere fuiſſetis. Ideoque decernimus, ut amodo poſſeſſionem præſcriptæ Eccleſiæ (ſalvo jure, quod idem Præpoſitus in petenda Eccleſia habere dignoſcitur) abſque contradictione qualibet habeatis. Ut autem noſtræ definitionis ſententia inviolabiliter obſervetur, eam Apoſtolico duximus patrocinio roborandam.

[c] *Cap.* 1. *eod. tit. in* I. *Compil.* Et poſt Conc. Later. ſub Alex. III. *p.* 3. *cap.* 3.

[d] Vide *l. ſi repetendi. C. de cond. ind.* & *l. prætor.* & ibi Bart. *ff. de novi op. nunt.*

¶ PITH. [1] *Quiſeburch*] Fortè *Quiſeburn.*

[2] *Præpoſiti de Beril.*] *Præpoſiti Eccleſiæ de Trimento, vel Eccleſiæ Benlac ſeu Belacenſis.*

[3] *De Lamento.*] *De Trimento ſeu Latimento.*

II. CLEMENS III. Epiſcopo & Archiepiſcopo Eboracenſi. [c. an. 1189. *Româ in Angliam.*]

Tempus annale non currit miſſionem paſſo, ſi intra illud cautionem Judicibus, vel alteri eorum aliis abſentibus, obtulit: licèt per eos ſeu per eum recepta non fuerit. Et eſt caſus notabilis ſecundùm hunc intellectum.

CUm ſicut [e] accepimus inter P. Subdecanum [f], & Abbatiſſam & Conventum Sanctæ Trinitatis [5] ſuper Eccleſia de Capit. [6] [g] quæſtio verteretur: de Thaurino [7] [h] & de Corinth. [8] Abbates, ac Archid. Chima. à Sede Apoſtolica Delegati, Moniales ipſas rei ſervandæ causâ, in poſſeſſionem rei petitæ miſerunt. Unde cùm hoc ad Subdecani [i] notitiam perveniſſet, ad Archidiac. prædictum acceſſit, & offerens ei ſiſtendi judicio cautionem, quoniam Abbas de Corinth. profectus erat in Angliam, & Abbas Thaurinenſ. viam fuerat univerſæ carnis ingreſſus, poſſeſſionem intra annum ſibi reſignari cum inſtantia poſtulavit, ſed non potuit obtinere: *Et infrà α.*] Diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi eſt ita, ſiſtendi judicio ab eo cautione recepta, ei poſſeſſionem reſtitui faciatis; nec obſtare volumus, quòd annus elapſus eſſe proponitur, ſi per eum non ſteterit, quò minùs intra annum & poſſeſſionem receperit, & dederit cautionem.

[e] *Cap.* 2. *eod. tit. in* II. *Compil.*
[f] Subdiaconum.
[g] *al.* Col.
[h] Tauriofi, & de colle Abbates & Archid. Chimen.
[i] Ad ejuſdem Subdiaconi, &c.

[*α Proceſſu verò temporis Moniales quas duximus ad ven. f. n. Abbatem S. Catharinæ & I. de veteri ponti Archid. Rothomagen. literas alias impetrarunt, quarum judicium ideò Subdecanus, ſicut aſſerunt, ſubire recuſat, quòd præd. Archiepiſcopum habet certa ratione ſuſpectum, & metuit ne ejus Conjudices ad partem quamlibet ejus auct. de facili traherentur. Quia verò nec invitus ſuſpectorum Judicum compellitur judicio ſubjici.*]

¶ PITH. [4] *Eboracenſi.*] *Abrincenſi* & Priori de Lucerna Ordin. Præmonſtrat. Neubrig. *pag.* 356.

[5] *Sanctæ Trinitatis.*] De Cademo ſeu S. Victoris de Coleto Ordinis S. Benedicti, Diœceſis Rothomagenſis. Ordericus Vitalis Monachus Ebrulfianus. *lib.* 4. *Hiſt. Eccl.* Vvillermus filius Roberti Ducis Normanniæ apud Cadomum duo Cœnobia conſtruxit, unum Monachorum in honore S. Stephani Protomartyris, aliud Sanctimonialium in honore Sanctæ Trinitatis.

[6] *Eccleſia de Capit.*] *Carpitelen. ſeu Capith.*

[7] *Thaurino.*] *Taurino* Ordin. S. Bened. Diœceſ. Ebroicenſis.

[8] *Corinth.*] al. *Corchen. Cerochen. Chicaen.*

III. INNOCENTIUS III. Urbin. & Senagolenſi Epiſcopo. [c. an. 1210. *Româ in Umbriam.*]

Si paſſus miſſionem, repetens poſſeſſionem, allegat ſe contumacem non fuiſſe, reſtituitur in priſtinum ſtatum, præſtita cautione, & dilata condemnatione expenſarum, quam evitat, ſi poſteà conſtiterit eum non fuiſſe contumacem.

CUm veniſſent ad Apoſt. [k] Sedem Abbas Sancti Angeli, & P. Gal. idem P. propoſuit, quòd prædictus [l] Abbas eum ſuper quadam poſſeſſione coram Jo. Apoſtol. Sedis Legato traxit in cauſam: [*Et infrà α.*] Verùm Legatus ipſe cauſam commiſit Judicibus, ſecundùm jus & bonam terræ conſuetudinem [m] terminandam: qui cùm ſecundùm jus tantùm vellent procedere, præfatus P. noſtram audientiam appellavit; ſed Judices nihilominus partem adverſam in poſſeſſionem rerum petitarum inducendam causâ cuſtodiæ decreverunt: ita quòd ſi uſque ad annum & diem præſtaret ſiſtendi judicio cautionem, & parti alteri triginta libras reſtitueret pro expenſis, reciperet poſſeſſionem eamdem. Cúmque G. Sedis Apoſtol. Legatus intra annum fuiſſet terram illam ingreſſus, ipſe cautionem ſtandi juri obtulit coram eo, & poſſeſſionem ſibi reſtitui poſtulavit, paratus expenſas reſtituere factas in litem, quæ ſex librarum ſummam, ſicut aſſerit, non excedunt; ſed Abbas triginta librarum ſibi reſtitui petiit quantitatem: *Et infrà.* Nos igitur ipſum P. cautione præſtita in poſſeſſionem [n] credimus reducendum: hoc etiam decernentes, ut ſi conſuetudinem, quam allegat, laudabilem eſſe conſtiterit, quia ex hoc ſequitur eum rationabiliter appellaſſe, ad reſtituendas expenſas nullatenus compellatur: alioquin, cùm ex hoc appareat eum fruſtratoriè provocaſſe, ad reſtitutionem cogatur expenſarum illarum, quas Abbatem conſtiterit propter hoc neceſſarias in lite feciſſe.

[k] *Cap.* 2. *eod. tit. in* III. *Compil.* Dec. *in c. Eccleſia S. Mariæ. De conſtit.* & *c. conſultationib. De offi. deleg.* & Roma. ſing. 414.
[l] *In Cod. Barba.* quòd cùm dictus Abbas eum ſup. q. poſſ. cor. 1. ſe. Ap. traxerit, &c.
[m] conſuetudo terræ ligat Clericos. Vide *l.* 1. *C. de ſum. Trini.* & ibi Doct. & deficiente terræ conſuetudine, tunc ad quam ſit recurrendum, vide *gl. in c. conſuetud. diſt.* 1. & *cap. illud. diſt.* 12.
[n] decrevimus *in Cod. Bar.*

[*α Quod ei ſecundùm bonam terræ conſuetudinem reſpondere coram eodem aſſeruit Card.*]

¶ PITH. [9] *Senagolenſi.*] *Senogalenſi.* Taxa Beneficiorum.

IV. GREGORIUS IX. [c. an. 1236. *Romæ.*]

Contra abſentem, qui non dimiſit Procuratorem, facta citatione domi, nullo defendente, fit miſſio. Hoc dicit ſupplendo ad literam, maximè, ut dicitur in gloſſ. Et eſt verus & notabilis intellectus.

SI adverſarius tuus poſt citationis edictum, ad remota loca ſe transferens, Procuratorem legitimum non dimiſit, & denunciatione publicè facta domi, non apparet, qui defendat eundem: jure petere potes, ut in poſſeſſionem earum terrarum, de quibus quæſtio vertitur, causâ cuſtodiæ inducaris [o].

[o] Vide *l.* 2. *ff. Si quis in jus voc. non ierit.* per B.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

TITULUS XVI.

I. ALEXANDER III. Eboracenſi Archiepiſcopo [1]. [c. an. 1170. *Româ in Angliam.*]

Privilegium etiam à Principe impetratum, per quod privatur quis, ſine cauſæ cognitione lite pendente, uſu poſſeſſionis, tanquam ſurreptitium non valet; ſeu tanquam rationi obvium, eſt revocandum.

A [a] Memoria noſtra non excidit [2]: [*Et infrà α.*] Statuimus, ut literæ prohibitionis, quas ad petitionem Archiepiſcopi Cantuarienſis tuæ fraternitati direximus, nullum præjudicium faciant, quò minùs tibi, & ſucceſſoribus tuis, liberum ſit (quemadmodum vobis eſt beneficio privilegiorum Apoſt. Sedis indultum, & tu, & prædeceſſores tui; conſueviſtis facere) ante vos per totam Angliam deferre crucem [3], quouſque definitivâ ſententiâ decernatur an Eccleſia tua de jure hoc debeat habere [b].

[a] *Cap.* 1. *eod. tit. in* II. *Compil.* & adde notas hujus capitis in quib. contra hæreticos defenditur conſuetudo geſtandi crucem.
[b] Hodie de jure poſſunt Archiepiſcopi crucem ante ſe deferre, per quævis loca etiam exempta ſuæ provinciæ quovis privilegio contrario non obſtante. *Clem. ult. de Privileg.* & quod dicit hìc gl. in verbo de jure, procedit de jure antiquo.

[*α Qualiter in primo anno noſtræ proviſionis tranſcriptum literarum fe. me. præd. n. Honorii Papæ nobis feceris præſentari, in quo continebatur Anteceſſoribus tuis Apoſtolica benignitate eſſe indultum, ut tam eis, quàm ſucceſſoribus ſuis liberum eſſet per totam Angliam ante ſe crucem deferre. Nos verò Anteceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, tibi ſcripti noſtri munimine confirmamus quod Anteceſſoribus tuis erat à Prædeceſſore noſtro indultum. Poſteà verò f. & venerand. me. t. quondam Cantuarienſ. Archiepiſc. exiſtimans hoc in præjudicium vel in depreſſionem juris & dignitatis ſuæ Eccleſiæ redundare, exinde cœpit quæſtionem movere, & propter hoc ad Sed. Apoſto. appellavit, affirmans ſi benè meminimus, quòd tibi & Prædeceſſoribus tuis id nullatenus licuiſſet. Sicque factum eſt ut nos tibi per ſcripta noſtra prohibuerimus, ne in provincia Cantuarien. Eccleſiæ donec de cauſa ipſa cognoſceretur, ante te crucem deferre aliqua ratione auderes. Quia igitur per dil. fil. noſtros L. & A. Clericos tuos gravem coram nobis querimoniam depoſuiſti, aſſerens quòd te de poſſeſſione hujus rei quam tu & anteceſſores tui habuiſtis, ante cognitionem judicii ſpoliaſſemus, volentes nos tibi tanquam ven. f. noſtro deferre, & jura tua integra illibatáque ſervare, præſentibus literis.*]

¶ PITH. [1] *Eboracenſi Archiepiſcopo.*] Vide *Epiſtolam Alexandri ad Eboracenſem.*

[2] *A memoria noſtra non excidit.*] Controverſia exorta de coronatione Regis. Neubrigenſis *pag.* 162. & 163. Vveſtmonaſt. *pag.* 367. Idem *pag.* 32. Henricus Huterinnenſis Archidiaconus *Chronic. ann.* 111. Inter Rodulfum & Triſtanum Archiepiſcopos orta eſt magna diſſenſio, quia Eboracenſis Cantuarienſi minimè ſubjici volebat. Cauſa autem, ſæpè coram Rege, ſæpè coram Apoſtolico ventilata eſt, ſed necdum definita. Extat *in libro* cui titulus *Vita & proceſſus ſancti Thomæ.*

[3] *Ante vos per totam Galliam deferre crucem.*] Ricardus Concilium Vveſtmonaſterii celebravit, cui Rogerus Eboracenſis Archiepiſcopus non interfuit. Sed ſuæ provinciæ Clerus querelam de ſui Archiepiſcopi cruce in Cantuarienſi provincia geſtanda renovavit, &c. Quo accepto Rex hanc litem Vvintoniæ his conditionibus diremit H. S. Oſvualdi, &c. Sed & reliquis ferendæ crucis ac provinciarum ambitûs controverſiis, ut Rothomagenſis Epiſcopi ſtaret arbitrio. Hameden. Cantuarienſis *Epiſt.* 124. Matth. Paris *pag.* 164. Neubrig. *pag.* 164.

II. CLEMENS III [c]. [c. an. 1190. *Romæ.*]

[c] *al.* Celeſtinus.

Accuſatus de adulterio ad ſeparationem tori, non debet lite pendente privari poſſeſſione conjugali.

LAudabilem: *Et infrà* [d]. Quæris quando matrimonium accuſare contingit, an ſtatim ſit carnale commercium ſuſpendendum: [*Et infrà α.*] Ad quod [e] breviter reſpondemus, † Quòd conjugum alteruter accuſatus, ante probatam accuſationem, jure, quod habet in altero, privari non poſſit.

[d] *Cap.* 2. *eod. tit. in* II. *Compil.*
[e] Ad quod tibi bre. &c.

[*α Aut quamdiu diſſimulari poſſit vel potiùs ſuſtineri. Ad quod breviter reſpondemus quòd cùm Alex. III. apertè prohibeat ne ab invicem, donec juſtæ fiat cauſæ examinatio, ſeparentur, & Symmachi Papæ contineat inſtitutum, ut Prælatus aliquis accuſatus antequam ea quæ objiciuntur luce clareſcant, relinqui non debeat à ſubjectis in præſenti articulo.*]

III. INNOCENTIUS III. Abbati & Conventui Sancti Sylveſtri. [c. an. 1199. *Romæ.*]

Qui rem litigioſam alienavit, ita quòd rehaberi non poteſt, debet æquivalentem ſubſtituere in locum illius: quam alienare non poterit. Hoc dicit, cum ſe.

ECcleſia ſanctæ Mariæ [f] in via lata contra Joannem de Ateia (qui quaſdam poſſeſſiones ipſius dicebatur contra juſtitiam detinere) movit ſub L. judice quæſtiones [g]: *Et infrà.* Prohibemus ne poſſeſſiones, quæ ſucceſſerunt in locum & jus illarum, & quas ab Jo. de Ateia Eccleſia ſanctæ Mariæ petierat, in Monaſterium veſtrum ab eodem Joan. lite pendente translatas, alienare interim præſumatis: ut ſi Eccleſia ſanctæ Mariæ de vitio litigioſi contractûs, vel de proprietate voluerit experiri, ne ſi obtinuerit in judicio, in vanum laboret Monaſterio veſtro minimè poſſidente, ſit, quod evincere valeat & habere.

[f] ſuprà *c.* 10. *de conſtit.*
[g] quæ hìc abſciſſa ſunt, ſuprà integra poſita ſunt, *c.* 10. *de conſtit.*

IV. IDEM. Elfod. [c. an. 1199. *Romæ.*]

Idem dicit, quod in præcedenti.

ECcleſia ſanctæ Mariæ [h]: *Et infrà.* Poſſeſſionem, quâ fuerat prætermiſſo juris ordine, prædicta Eccleſia ſpoliata, ſibi reſtitui poſtulabat: *Et infrà.* Nos quicquid ab aliis factum fuit, poſtquam prædeceſſor noſter ad curiam ſuam idem negotium revocavit, irritum decernimus & inane. *Et infrà.* Verùm quoniam præfatam poſſeſſionem poſt reſtitutionem vobis factam ab Jo. de Ateia, alii locationis titulo aſſignaſtis, neque reſtituere poteratis Eccleſiæ ſpoliatæ: loco ipſius tantundem poſſeſſionum æquivalentium, ad arbitrium bonorum virorum, ipſi Eccleſiæ fecimus aſſignari: quas, cùm alii fuerant pignori obligatæ, per vos liberari fecimus à creditoribus, qui nobis inſtrumentum pignoris reſignarunt.

[h] ſuprà, *de conſtit. c.* 10. *in tertio, ſub titulo de reſtit. ſpoliat.*
[i] *l. juſtè poſſidet.* & ibi Bart. *De re jud.*

V. HONORIUS III. Cancellario, Cantori, & A. Canonico Pariſien. [c. an. 1223. *Româ in Galliam.*]

Lis decidenda eſt ſecundùm jura exiſtentia tempore controverſiæ, non autem ſecundùm privilegium impetratum lite pendente, niſi de litis pendentia mentionem faciat.

DIlectus filius, magiſter A. perſona Eccleſiæ de [k] Baſſevilla [2], expoſuit coram nobis, quòd cùm inter prædeceſſorem ſuum ex parte una, & Priorem ac Monachos de Baſſevilla ex altera, ſuper decimis novalium intra fines parœciæ ſuæ conſiſtentium, quæſtio emerſiſſet, ea pendente coram Judicibus delegatis, Abbas & Conventus Majoris Monaſterii Turon. quibus ſubſunt, Prior & Monachi ſupradicti, pro ſe ac membris ſuis obtinuerunt à Sede Apoſt. indulgentiam ſuper perceptione hujuſmodi decimarum: cujus pretextu Prior & Monachi ſupradictas decimas ſibi vindicare contendunt, licèt in indulgentia de dicta quæſtione facta mentio non fuiſſet. Ideóque mandamus, quatenus eiſdem Judicibus injungatis, ut, indulgentia non obſtante prædicta, in negotio ipſo procedant, juxta traditam ſibi formam.

[k] Bacervilia. *al.* Baſſavilla.

¶ PITH. [2] *Baſſevilla.*] *Beavilla.*

DE SEQUESTRATIONE [a] POSSESIONUM ET FRUCTUUM.

[a] *In nonnullis antiquis ita:* De ſequeſtratione poſſeſſ. rerum & fructuum. *al.* poſſeſſionis.

TITULUS XVII.

I. INNOCENTIUS III. Mediolanenſi Archiepiſcopo. [c. an. 1206. *Româ in Inſubriam.*]

Res, in quam facta eſt miſſio, non debet ſequeſtrari, etiam ſi miſſus inde fuerit violenter ejectus. Vel notabiliùs ſic: *Sequeſtrum factum loco miſſionis propter ſcandalum evitandum, revocari debet oblata cautione & reſtitutis expenſis.*

AD hoc unxit nos Deus: *Et infrà* [b]. Abbas de Regula [c] nobis expoſuit, quòd cùm M. prædeceſſor tuus ſuper cauſa, quæ inter ipſum & Monaſterium ſuum fuerat agitata, obtinuiſſet Veronenſi Epiſcopo literas deſtinari, & ipſe ſuper judicio poſſeſſorio partim pro Monaſterio, partim pro Archiepiſcopo ſententiam protuliſſet, Procuratore ipſius Monaſterii quæſtionem de proprietate poſtmodum intentare volente, Archiepiſcopus juriſdictionem Epiſcopi oppoſuit expiraſſe: aſſerens cauſam poſſeſſionis tantùm, & non proprietatis fuiſſe commiſſam: & quia ſuper poſſeſſione pronunciaverat, ſemel functus officio ſuper quæſtione proprietatis deinceps cognoſcere non valebat: [*Et infrà α.*] Sed Judex actorem in poſſeſſionem, quæ fuerat per ipſum Archiepiſcopo adjudicata, propter ejuſdem contumaciam mitti decrevit, à qua tamen Archiepiſcopus violenter Monaſterium ejecit: [*Et infrà β.*] C. Papa Prædeceſſor noſter, ſic ſuum interpretatus fuit reſcriptum, quòd tam cauſa poſſeſſionis quàm proprietatis, fuerat Judici delegata, cùm abſolutè & indiſtinctè commiſſa fuerit, & ejus continentia dividi non deberet, prælibatam quoque poſſeſſionem pro ſuo arbitrio ſequeſtrari præcepit, injungens Reg. & Mutinen. Epiſcopis, ut de cauſa poſſeſſionis & proprietatis pleniùs cognoſcentes, eam debito fine deciderent, & poſſeſſionem ei parti poſtmodum reſignarent, quæ obtineret de proprietate triumphum: [*Et infrà γ.*] In eum ſtatum continentiam cauſæ reducimus, in quo fuerat, cùm prædictus prædeceſſor noſter cauſam proprietatis & poſſeſſionis Regin. & Mutin. commiſit: mandato ſequeſtrationis penitùs revocato: [d] *Et infrà.* Ne autem Monaſterio videamur in ſuo jure deeſſe, moderatas expenſas, ex quo Epiſcopus Veronen. ipſum in poſſeſſionem induci decrevit, uſque ad ſatisfactionis tempus oblatæ, própter hoc factas ſibi reſtituendas eſſe cenſemus: & à te ſufficientem præberi ſtandi judicio cautionem.

[b] *Cap.* 1. *eod. tit. in* III. *Compil.*
[c] *Al.* de Stragula.
[d] ſic abſciſſum.

[*α Ad hæc pars Monaſterii inter alia reſpondebat quòd cauſa quæ inter Archiepiſcopum & Monaſterium vertebatur, fuerat Epiſcopo memorato abſolutè & indiſtinctè commiſſa: & ſic continentiam cauſæ dividi non debere dicebat, in hanc nimirum & alias rationes cùm Judex pleniùs advertiſſet & actorem, &c. ut hìc.*]

[*β Cúmque proceſſu temporis utriuſque partis nuncii propter hoc ad Sed. Apoſt. acceſſiſſent bo. me.*]

[*γ Nos autem ſupradicto Alberi, mandavimus, ut illis literis quas ad Bon. & Ferrarien. Epiſcopos ſuper reſtituenda ſibi poſſeſſione cum fructibus per mandatum impetravit omnino careret.*]

¶ PITH. [1] *Abbas de Regula.*] Orcentii de Regula Ordinis S. Benedicti Diœceſis Tarnienſis.

II. HONORIUS III. Priori Deben. [2] & Decano de Calinen. [3] [c. an. 1220. *Romæ.*]

Si miſſus in poſſeſſionem causâ cuſtodiæ fructus diſſipat, diſſipati revocantur, & cum aliis ſequeſtrantur.

DIlectus filius [e] R. Rector Eccleſiæ de Bethuſia [4], ſua nobis petitione monſtravit, quòd cùm inter ipſum ex parte una, & Abbatem & Conventum de Ciſteria [f] [5] ex altera, ſuper eadem Eccleſia, coram Abbate de Sibiton [6], & ejus Collegis quæſtio verteretur, Judices ipſi prædictos Abbatem & Conventum in poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ causâ cuſtodiæ induxerunt, qui fructus medio tempore perceptos pro ſuæ diſtrahunt libito voluntatis [g]. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, facientes fructus ſequeſtrari prædictos, ſi quid de ipſis per eos diſtractum inveneritis, in ſtatum priſtinum revocetis.

[e] De materia hujus ca. Felin. poſt Joan. Andr. *in c. examinata, ſupr. de jud.* Socin. *in Reg.* 458. *verbo ſequeſtr.*
[f] Glóceſtria.
[g] Iſta verba important liberum arbit. *l.* 1. *de re mi.* & ib. Bart.

¶ PITH. [2] *Priori Deben.*] *Dalinton, vel Priori de Buel.*

[3] *De Calinen.*] Abbas Mariæ de Calena Sipontin. Diœceſ. *Decano de Calitan. & f. Canonico S. Mariæ de Æſtig.* Ciſterc. Ordinis.

[4] *Bethuſia.*] *Breneſia, vel Brutinienſ. Berentia.*

[5] *Ciſteria.*] *Gloceſtria.* Monaſterium Sancti Petri Gloceſtriæ Epiſcopatûs Cantuarienſis. Cirteſium Cœnobium quod conſtituendum curavit Erlennaldus priuſquam Epiſcopus Londonenſis factus eſſet. Vveſtmonaſter. *an.* 675. *vel de Coloceſtria, vel de Coceſtria* Linconenſ. Diœceſ.

[6] *Sibiton.*] *Sibitinenſe, vel Subitonenſe.*

III. GREGORIUS IX. [c. an. 1232. *Romæ.*]